

# TRES CAPRI ASPERI

Translated by Jessica McCormack

Ōlim trēs caprī in viā ambulābant. Nōmen tribus omnibus “Asper” erat. Cibī cupidī erant. In quōdam clīvō pāstum suāvem bonumque esse nōvērunt. Itaque trēs Caprī Asperī eum clīvum ascēnsūrī erant ut pāstū crassēscant.

Flūmen ponte trānseundum eīs erat ut ad clīvum advenīrēt. Trollus autem foedus nāsūtusque oculisque malignīs sub ponte habitāvit.

Primum minimus Caper Asper ad pontem accessit ut flūmen trānsīret.

“Tat, tat, tat, tat!” pōns gradū minimī caprī sonuit.

“Quisnam in pontem meum incēdit?!” boāvit Trollus.

“Ōh! Ego tantum minimus Caper Asper sum, clīvum ascēnsūrus ut pāstū crassēscam,” minimus caper vōce tenuī minūtāque respondit.

“Nunc tē dēvorātum veniō!” boāvit Trollus.

“Āh, nōlī mē dēvorāre! Nimis parvus quidem sum!” minimus caper respondit. “Exspectā dum alter Caper Asper veniat. Ille multō maior mē est!”

“Eum igitur exspectābō! Apage tē ā mē!” dixit Trollus.

# TRES CAPRI ASPERI

Brevi tempore, alter Caper Asper ad pontem accessit ut flumen transiret.

“Tat, tat, tat, tat!” pons gradum maioris capri sonuit.

“Quisnam in pontem meum incedit?!” boavit Trollus.

“Oh! Ego alter Caper Asper sum, clivum ascensurus ut pastum crassescam,” alter caper maiore voce respondit.

“Nunc te devoratum venio!” boavit Trollus.

“Ah, noli me devorare! Expecta paulisper dum maximus Caper Asper veniat. Ille multo maior me est!”

“Eum igitur expectabo! Apage te a me!” dixit Trollus.

Subinde maximus Caper Asper ad pontem accessit.

“Bum, bum, bum,” pons gradum maximae capri sonuit. Maximus enim caper tam gravis erat ut pondere eius pons strideret gerneretque.

“Quisnam in pontem meum incedit?!” boavit Trollus.

“Equidem maximus Caper Asper sum,” dixit caper cui quoque vox rauca foedaque erat

“Nunc te devoratum venio!” boavit Trollus.

Respondit maximus caper:

# TRES CAPRI ASPERI

*Trolle, venī!*

*Duae hastae sunt mī*

*Quibus oculōs ēruam:*

*Ex auribus eōs effodiam.*

*Etiam habeō saxa*

*Quibus ossa tibi erunt cōnfrācta!*

Haec maximus Caper Asper dīxit. Subinde impetum violentum in trollum fēcit et oculōs eius cornibus ēruit et corpus contūsit et ossa cōnfrēgit et trollum in vallem praeruptam ubi flūmen fluēbat dēiēcit et posteā clivum ascendit.

Illic Trēs Caprī Asperī pāstū bonō tam crassī factī sunt ut vix domum pedibus vacillantibus redire possent. Et, nisi marcēscunt, adhūc crassī sunt.

Tandem:

*Grāmina sunt mandūcāta*

*Et haec fābula est ēnārrāta!*

# TRES CAPRI ASPERI